

Leistungskurs Bayern 1998

Aurea mediocritas (1)

(Cicero, off. 1,88-91)

Überzogene Emotionen und Überheblichkeit gefährden verantwortungsvolles Handeln.

Non sunt audiendi, qui graviter inimicis irascendum putabunt idque magnanimi et fortis viri esse censebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia. Et tamen ita (2) probanda est mansuetudo atque clementia, ut (2) adhibeatur rei publicae causa severitas, sine qua administrari civitas non potest.

Omnis autem et animadversio et castigatio contumelia vacare debet neque ad eius, qui punit aliquem aut verbis castigat, sed ad rei publicae utilitatem referri. Cavendum est etiam, ne maior poena quam culpa sit et ne isdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Prohibenda autem maxima est ira puniendo; numquam enim, iratus qui accedet ad poenam, mediocritatem illam tenebit, quae est inter nimium et parum, quae placet Peripateticis - et recte placet. Iracundia enim omnibus in rebus repudianda est optandumque, ut ii, qui praesunt rei publicae, legum similes sunt, quae ad puniendum non iracundia, sed aequitate ducuntur.

Atque etiam in rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam magnopere, fastidium arrogantiamque fugiamus! Nam ut adversas res, sic secundas immoderate ferre levitatis est praeclaraque est aequabilitas in omni vita et idem semper vultus eademque frons, ut de Socrate itemque de C. Laelio accepimus.

In secundissimis igitur rebus maxime est utendum consilio amicorum iisque maior etiam quam ante tribuenda auctoritas. Isdem temporibus cavendum est, ne adsentatoribus patefaciamus aures neve adulari nos sinamus, in quo falli facile est; tales enim nos esse putamus, ut iure laudemur. Ex quo nascuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus turpiter irridentur et in maximis versantur erroribus. *(248Wörter)*

(1) Die Überschrift braucht nicht übersetzt zu werden

(2) ita ... ut nur mit der Einschränkung ..., dass